



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Confessionis Avgvstinianae, Et Avgvstanæ

Hänlin, Georg

Friburgi Helvetiorum, 1592

VD16 H 131

Einleitung

urn:nbn:de:hbz:466:1-29407



PARALELA CONFESSIÖNIS AVGVSTINIANAE, ET AVGVSTANAE.

D conficiendum commodè, & quām rei de qua agitur, amplitudo, patitur brevissimè ostendendam nimirū D. Augustinum nō Lutheranum, sed verè Catholicum, id est, ut nunc nominant, Papistam fuisse, majoris perspicuitatis causa, duplicem hunc Syllogismum toti negotio præmittere, totiusq; negotij Summam eo complecti vīsum est.

Prior.

NEque est, nec esse potest Lutheranus, qui dissentit à Lutheranis in omnibus ijs, in quibus dissentunt ab ijsdem Catholici.

At D. Augustinus dissentit à Lutheranis in omnibus istis, in quibus dissentunt ab ijsdem Catholici.

Ergo D. Augustinus neque est, neque esse potest Lutheranus.

Posterior:

CAtholicus sine dubio est, qui in omnibus cum Catholicis sentit & credit,

D D, Augu-

PARALLELA CONFESSION.

D. Augustinus in omnibus sentit & credit cum Catholicis.

Igitur D. Augustinus sine dubio Catholicus est.

In utroque Syllogismo propositionem Maiorem tam veram & perspicuam existimo, ut nullum Adversarium tam pugnacē futurum unquam putem, qui eam sit negaturus, vel in dubium vocaturus. In probanda itaq; utriusq; Minori laborandū erit, ostendendumq; de Confessionis Augustanę Articulis omnibus & singulis Lutheranos in iis, in quibus à Catholicorum doctrina discrepant, disrepare pariter, & non minus etiam à doctrina Augustini: convenire verò ē contra & pulcherrimè consentire magni illius Doctoris & viri sententiam, cum sententia Catholicorum.



CONFESSiONiS AV-
GVSTANÆ

ARTICVLVS I.

DE VNITATE ESSENTIAE DIVI-
na, ac de tribus personis.



ARTICVLVS hic per omnia Catholicis cum Confessionistis communis est, prout quidem in Confessione ponitur; si tamen quidam ex Confessionistis de hoc eodem alibi quædam inconsideratiū scripsierunt, hoc anxiè discutere non est huius loci, ideoque ad secundum progredior.

ARTICV.